



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

LXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

ticis omnis populus ei occurrere debeat. Qui sepultus est vbi supra, sub die 4. Idus Octob. Et cessauit Episcopatus anno 1. mens. 7. diebus 18.

## LXXIII.

**S**EVERINVS, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit mensibus 2. diebus 4. Huius temporibus, cum tantum esset electus, nondum autem ordinatus, deuastatum est Episcopium Lateranense à Mauritio chartulario, & Hisatio patritio Exarcho Italiae, qui aduersus Ecclesiam DEI inuito consilio concitauerunt exercitum Romanum, dicentes. Quid prodest, quod tantæ pecuniæ congregatæ sint in Episcopio Lateranensi ab Honorio Papa, & militibus nihil exinde subuenitur, quando & rogæ vestræ, quas Domnus Imperator vobis per vices mandauit, ibi sunt à sancto viro reconditæ? His auditis omnes armati à puero vsq; ad senem venerunt ad prædictam Ecclesiam, quam tamen irrumpere non potuerunt, resistētibus his, qui cum sanctissimo Seuerino aderant. Vnde Mauritius, quod vi non potuit, dolo fecit ingressus vestiarius Lateranensis Episcopii, & sigillauit omnia, quæ Christianorum pietas pro redemptione animarum suarum sancto Petro reliquerat. Misitque postmodum Rauennam epistolas ad Hisatium patritium, qui illicò Romam veniens omnes primates Ecclesiæ in exilium deportari iussit, ne esset qui impediretur suis negotiis. Deinde post dies aliquantos ingressus Lateranense Episcopium per dies 8. deprædatus est illud, partemq; maximam direxit Constantinopolim Heraclio Imperatori, & sic ordinatus est sanctissimus Seuerinus. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die 4. non. August. Et cessauit Episcopatus menses 4. diebus 29.

## LXXIV.

**I**OANNES, natione Dalmata, ex patre Venantio Scholastico, sedit anno 1. mensibus 9. diebus 19. Hic misit multas pecunias per omnem Dalmatiam seu Histriam per sanctissimum & fidelissimum Martinum Abbatem propter redemptionem captiuorum, qui à gentibus deprædati fuerant. Sepultusq; est ad B. Petrum Apostolum sub die Id. Octob. Et cessauit Episcopatus mēse 1. dieb. 10.

## LXXV.

**T**HEODORVS, natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo de ciuitate Hierosolyma, sedit annis 6. mensibus 5. diebus

T 2

18. Huius